



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

8. Aduersariorum fundamenta eruuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

2. Imò verò oppositum potius legitime inferitur iuxta superius dicta: si enim absolutè erit contingens à decreto omnino absoluto, & reliquis principiis absolutè positus, ab eisdem decreto, & reliquis principiis, positus solummodo in hypothesi, & pro conditione conditionatè illum effectum fore, ac subinde decretum absolutum de ea futuratione conditionata necessarium ad eam statuendam non esse evidens, consequentia est, ut sæpè ostendimus. Hinc evanescit illud, imò & contra ipsos aduersarios fortius argumento hoc certiusque regetur, quod ex cap. viroque de dono perseverant. & de prædestin. Sanct. & efficacissimum contra nos decretis absolutis ex parte actuum solum ab illis æstimabatur: cum eis locis de prædestinatione omnino absoluta loquatur Augustinus ut constat ex dictis d. 5. quæst. 2. cert. 5. & præfati quæst. certam. 5. ubi specialibus ponderationibus loca hæc contra aduersarios armamus: illud etiam evanescit, imò, & argumento proximo contra ipsos instruitur, quod nobis obicitur ex cap. 14. de dono perseverant. verbis illis. *Audiant hæc, & faciunt, quibus datum est; Non autem faciunt, siue audiant siue non audiant, quibus datum non est.* Loquitur enim clare de absolutis operibus, & eorum datione à Deo, sicut & cap. 17. contra Semipelagian. [Hæc utique dona Dei, quæ dantur electis secundum Dei propolitionem vocatis (in quibus donis est incipere credere, & in fide vique ad vitam huius terminum perseverare) sicut tanta rationum atque autoritatum contestatione probauimus. Hæc inquam Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præcipiunt à Deo. Præcipiunt autem hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.] His similia plura ex Augustino passim contra nos, vel certè pro nobis potius, aduersarii congerunt, quæ singulariter referre, quoniam referre parui, nos tæder multum.

3. Sed Achille aduersariorum argumento ex locis utriusque illius capitis non dissecto, restat aliud ex variis Augustini locis contra Semipelagianos disiciendum, id quod sola erroris Semipelagiani (quem, vel ignorant aduersarii, vel consulto ut aliquid apud indoctos contra nos clament, confundunt, & obcurant) notitia, & clara intelligentia facile præstabitur. Opponent ergo Carmelitani Discalceati in suo cursu Salmantino, d. 10. dub. 3. num. 58. Hæc Augustini verba ex cap. 14. de Prædestin. Sancto. [Hæc est tota causa, cur dictum est à quocunque dictum est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, dictum est enim secundum pericula huius vite non secundum præscientiam Dei, qui hoc præcivit, quod futurum erat: non quod futurum non erat: id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui in tentatione mansurus non esset.] Hunc textum, qui nulli, vel subtilissimo ingenio, pro necessitate decreti actualis ad futurationem conditionatam induci posse videbatur, ita illi inducunt. Supponunt Pelagianos assignasse merita illa conditionata immature cor pti in gratia, ut ita corriperetur: eaque ita conditionate fore & propriis viribus, & ante omne actuale Dei decretum asseruisse: eamque & futurationem & scientiam conditionatam pro eo signo ante omne actuale Dei decretum ab Augustino negari, illamque, quæ post Dei decretum omnino absolutum, etiam omnino absoluta est, ab Augustino concedi, sed certè in hac interpretatione ingenuè parum, commenti vero plurimum recognosco.

4. Et primo quidem: Pelagianos nusquam ad merita hæc conditionata & propriis viribus immature correpti confugisse certissimum in Augustino Prospero, & Hilario est: cum cum ille & duorum horum epistolis didicisset, primum: merita hæc conditionata ex propriis viribus à Semipelagianis ostendi, ut duorum paruulorum altero baptizato altero non baptizato ante rationis usum correptis argumento ab Augustino contra Pelagianos facto occurrerent. Doctrinæ nouitate percussus; (cum tamen in Pelagiana, tam ipse, quam Prosper & Hilarius satis essent versati) dixerat c. 13. Primo, Pelagianos, si ad ea merita conditionata recurrissent, facile defensores, quod nec originale, nec gratiæ necessitas esset. Secundo ait: conditionata hæc merita ad præmium, vel penam intelligendam absolute, ab iis quorum ingenia contemptibilia prorsus non sint cogitari non posse deest: Tertio ait: [Dici enim non po-

test, quam molestè feram, quod videretur Pelagianis esse falsissimum & absurdissimum hoc non vidisse illos (Semipelagianos) qui nobilium errorem illorum hæreticorum Catholica autoritate condemnant.] Quarto: ea doctrina autoritatem libri Sapient. eripi à Semipelagianis, quod à nullo etiam Pelagiano tentatum, imò neque de eius autoritate dubitatum. Quinto: quæ d. non dicit (inquit) crediturum; sed somniaturum, neminem putavimus: secundum ea, scilicet, iudicari quæquam mortuorum, quæ gesturus fuerat, si tempore prolixius viuisset. Ex quibus constat ea merita conditionata ad præmium, penamve absolutam, nusquam à Pelagiano aliquo, imò à nullo, ante Semipelagianos admissa fuisse. Sed ut clarius adhuc ex Augustino de Pelagianis constet, legatur Augustin. 2. contra duas epistolas Pelagianorum. c. 7. ubi ait: argumento suo de paruulis illis, non solum non meritis conditionatis; sed nec vlla alia via Pelagianos respondisse, [sed omnem suæ caliginis latebram eo argumento auferri. Ac statim: Hæc prorsus infanti linguam vestram, vocemque submittitis. Hæc non loquenti, quid loquimini non habetis. Nulla quippe merita etiam secundum ipsos Pelagianos possunt in paruulis inueniri, cur aliorum mitantur in regnum, alij alienentur à regno.] At inquit Carmelitani, citato hoc cap. 7. ubi contra Pelagianos loquitur: præscientiam operum sub conditione futurorum, scilicet naturæ viribus, & independentem à Decreto Dei aperte reicit, & confutat illis verbis: *quomodo enim præsciuit ea futura, quæ illis (paruulis in infantia mortuis), quia præscientia eius falsè non potest, præsciuit potius non futura:* Sed certè non reicit conditionata merita, ad quæ, ut vidimus, Pelagianus nusquam recurrerunt; sed eos urget in paruulis ante vsum rationis correptis, in quibus merita absolute futura (quæ solum ipsi agnoscebant, & in Iacob respectu Elau ad eius præ hoc electionem designabant) futura absolute esse præcitti infallibili Dei scientia minime poterant.

5. Vrgent secundo aliis verbis ex lib. 26. contra Faustum, quæ sunt de his rebus solum quæ à solo Deo, præter, aut contra naturam fiunt sententia: quare nihil inde ad futura libera præfieri conditionata colligi potest. Secundo scire debent prius, an Faustus Pelagianus, aut Semipelagianus fuerit, aut alicubi de Scientia conditionatorum, aut conditionatis operibus egerit: ut, quæ contra illum Augustinus disseruit, contra futura nostra conditionata, eorumque Scientiam independentem à decreto actuali Dei obiectarent. Ne ergo post hæc adeo fædè errent, sciunt: Faustum Monachum fuisse, & coramque hæreticis aut Semipelagianum, quos tempore, eorumque hæresis antecessit, nec quidquam meritum conditionatorum cogitasse: eadem perlonarum, temporum, textus, & propolitionis ignoratione opponunt hæc Augustini verba ex libro de anima, & eius origin. cap. 12. quid? quod ipsa extinguitur præscientia, si quod præcitur non erit: quomodo enim recte dicitur futurum, quod non erit futurum. Sed hæc nec contra Pelagianos, nec contra Semipelagianos, nondum natos dicta ab Augustino sunt; sed, ut ex primis eius libri capitibus constat contra Vincentium quendam, qui recens ex Donatista Catholicus disputationibus inter Pelagianos, & Catholicos componendis incautus se inseruit: cumque in eam deuenisset, cur Deus animam innocentem corpori à quo statim separanda erat originale contracturam immiserit? ut eius imprudentiam corrigat Augustinus tres eius difficultatis componendæ à Vincentio excogitatos modos, omnibus viis confutat: quartumque de conditionatis, de meritis infantis, si diutius viveret, de suo adiecit, & verbis datis confutauit: supponens (quod omnibus fixum est) nominis in absolutis operibus meritum, aut demeritum esse; cum tamen illa absolute futura non sint, nec nisi ex inanitate, falsaque reddita Dei præscientia cognosci futura, scilicet absolute, uti ad penam ob illa intelligendam opus erat vilo modo poruerint: quare de hoc quarto modo ait: *quod, nec ipse ausus est dicere in tantis angustis constitutus, imò contra istam vanitatem, tam satis manifeste & breuiter est locutus.* Stet igitur Pelagianum neminem merita hæc conditionata, ex propriis viribus asseruisse; neque contra aliquem Pelagianum eis locis nunc à Carmelitano cursu obiectis Augustinum egisse; sed eiusmodi merita apud Semipelagianos nata esse: imò verò in diuinitas baptizati, & correpti, ne malitia mutaret intellectum eius

eius demerita conditionata, ob quæ puniendum potius urgebat Augustinus, sicut de correpto altero infante non baptizato ipsi aiebant, demerita conditionata negabant: & libro Sap. in cuius 4. c. eorum conditionata scientia, quare, & ipsa conditionata opera asserabantur Canonici auctoritatem denegabant, ut Augustinus ipse testatur: *quod à me quoque possum aut fratres istos: (Pelagianos) ita resississe dixisse, tanquam, non de libro Canonico adhiberetur*. Ecce strictius conditionata opera Massilienses Semipelagiani, quam Augustinus coercabant.

6. Et hætenus de iis, quæ falso aduersarij historice supponunt, quod autem ad eius loci contra nos inductionem, & interpretationem, (vel potius è suo cerebro commutatum) spectat, scilicet, merita illa conditionata viribus naturæ, quæ ante omne actuale Dei decretum à Pelagianis (verius Semipelagianis) pro casu paruulorum correptorum asserita, fuisse ab Augustino repudiata, post actuale vero decretum cum ea, quam eorum præscientiam ab eodem laudatam, nullum, adhuc leuissimum, eo loci, imo neque alibi fundamentum vquam in Augustino Prospero, aut Hilario habet: id enim, quod speciale hæc merita præabsolutis absurdi habent, inde solum impugnat Augustinus, quod meritum ad præmium, vel panam absolute infingendam in absolutis solum operibus est; non autem in conditionatis, quæ talia esse possunt, etsi absolute non sint futura: sicuti in paruulis illis absolute de facto non fuerunt, ut, ex ipso, & Prospero recitabamus. Quoad communem autem errorem, quem in conditionatis hæc æque, atque in absolutis operibus Semipelagiani habebant, nempe utraq; ex viribus naturæ, ac sine Dei adiutorio, & gratia fore, opposita Catholica veritas satis in conditionatis saluatur: si Dei gratiam, & adiutorium habeamus, quare, & illud donandi voluntas in hypothesi, si cetera reliqua operis boni essentialia principia ponatur: inde enim, nec conditionate sine Dei adiutorio esse posse conueniunt: nec absolute, nisi à Dei adiutorio, & voluntate positis absolute: sicuti, nec sine aliis eius operis essentialibus principiis, quæ in hypothesi ponuntur; posse altero modo illud opus esse, manifeste conueniunt: ergo ex eo, quod Augustinus ea merita conditionata ex propriis viribus displicant, non inferitur illum actuale Dei decretum de eorum futuritione conditionata requirere: aut, ut placerent expectasse, quinimo nihil tale requisitum patet ex eo, quod nunquam, ac nullibi Augustinus, aut Prosperus, ea conditionata merita paruulorum Semipelagianorum ex ea parte, qua viribus naturæ, & arbitrij solius sub conditione futura essent, speciatim impugnauit: sed quia essent futura, scilicet absolute, quia, vel præmio asseriebantur, vel supplicio; & non futura absolute, quia absolute non erant futura sed conditionate: ut constat ex memoratis locis, & aliis omnibus, quæ aduersarij nobis opponunt: cum enim necessitatem gratiæ, adiutorij, & voluntatis Dei absolute ad opus honestum absolutum contra eosdem ij Patres multis euicissent, nihil præterea pro necessitate eorundem ad illud opus conditionatum ostendenda necessarium iudicauerunt: cum id, quod ad absolutum requiritur absolute, ad conditionatum requiri in hypothesi, & pro conditione, euidenter sit: imo in paruulis illis altero electo, altero præscito ubi nulla erant merita, & operum, quæ præcederent materiam erroris, quem confutabant Pelagianis, ea confutatione subtrahebant: siquidem, quod vquam non est, à nullo, quare nec à naturali virtute esse dici vllatenus potest.

7. Secundo: in illo priori ante decretum hoc actuale futuritionis conditionatæ non est negatum decretum de illis; alioqui nullum esse posset conditionatum contingens in horam sententia, quia cum negatione decreti pro illo priori decretum illud, licet pro posteriori, coniungi non posset, sine quo per hocce neque esse conditionatum contingens: ergo illud prius signum est signum indifferenter, & potestatis ad decretum illud, vel eius negationem: ergo pro eo signo, & priori non magis est conditionate futurum quam non futurum contingens, nec magis est scientia futuritionis, quam non futuritionis conditionatæ illius. Ergo nequit Augustinus negare pro eo signo esse contingens illud conditionate futurum asserere, cognosci pro eo signo à Deo non fore conditionate potius, quam fore, ut eo loco, & 2. contra duas epistol. Pelagianorum. c. 7. & 1. de anima, & eius origin. & 26. Contra Faustum Cur-

sus Carmel. & aduersarij alij Augustino imponunt. Tertio: quia Augustinus negat conditionata futura opera paruulorum si diutius viuerent esse futura, quia non diutius vixerunt, sed ante tempus vlus rationis, & libertatis correpti sunt: sed, etiam si addecretum absolutum ex parte actus de eorum conditionata futuritione, si diutius viuerent, qui non diutius vixerunt, eadem manet ratio, ut sine Augustino non futura: ergo non negat ea esse futura, quia ante decretum actuale, nec affirmat futura, quia post decretum. Rursus: purificari, vel non purificari conditionem, neque ad futuritionem conditionatam conducit, neque ad negatiuum existentie decreti actualis de illa, aut cum negatione illius decreti connexa est: alioqui nulla essent futura conditionata, quorum non purificaretur conditio, atque absoluta futura essent, contra scripturam plura conditionata tradentem quæ non sunt futura absolute, uti fidem & penitentiam Tyriorum: ergo, cum defectu purificationis conditionis negat Augustinus futura bona opera paruulorum; non negat futura conditionate, siue ante, siue post decretum; sed solum futura absolute, simpliciter, vere, ac sine addito conditionis, aut conditionata, (ut ad absoluta merendum, vel demerendum opus erat) defectu purificationis.

8. Quarto eodem modo negat demerita conditionata infantis sine baptismo correpti esse futura; atque merita alterius cum baptismo correpti: atqui in eo, quod demerita illa non essent ex gratia, & decreto Dei actuali futura conditionate sed ex viribus arbitrij, non errant Semipelagiani; nec cum eis de eo contendit Augustinus eis locis, quæ nobis opponuntur: quin mendacium, & peccatum, & perditionem nostram ex nobis esse adeo scripturis consona, Augustini, & Patrum sententia est: ex quo arguo tandem: quia, quod conditionata futura talia sint post decretum actuale Dei, ac non antea non probat in aduersariorum doctrina esse à Deo donante, atque ex Dei gratia: quo solum ex capite volunt illi Augustinum ea actualia decreta ad futuritionem conditionatam contra errorem Semipelagianorum de conditionatis meritis ex viribus arbitrij asseruisse. Patet assumptum: quia in istorum doctrina peccata omnia cum futura absolute, tum conditionate futura sunt ex decreto actuali Dei, quoad totum materiale, vltra quod nihil in peccatis, siue à Deo, siue à creatura agitur, & tamen peccata adhuc quoad totum materiale, non est ex gratia, & beneficio Dei; neque à Deo donatur: ergo iuxta istorum doctrinam titulo donationis, & gratiæ necessariæ Dei, nequeunt hæc actualia decreta non solum ad demerita, verum neque ad merita conditionata requiri contra Semipelagianos ab Augustino.

9. Igitur quoties Augustinus, & Prosper conditionata futura opera illa paruulorum absolute futura esse negant, ac vere non futura esse, de absoluta futuritione, quæ simpliciter, & sine addito futuritio est, & absolute, ac simpliciter futurum constituit aperte loquuntur; non de conditionata futuritione, quæ absolute, & simpliciter talis non est, neque absolute sed solum suspense, & secundum quid futurum constituit; scilicet, quod erit non absolute quidem, sed, si conditio ponatur, de quibus propterea, si purificetur conditio, rite dicitur absolute non erunt. Atque ad id, ad quod futura à Semipelagianis asserbantur, scilicet, ad merendum, ac demerendum absolute absolutum præmium in baptizato infante, ac panam absolutam in non baptizato correptis, de absoluta, ut diximus, futuritione loqui Augustinus, & locutus est, oportebat: id quod his clarius, quam loqui solet falsus est Ioan. à S. Thom. 1. p. qu. 14. d. 20. a. 2. pag. 130. de loco obiecto ex c. 14. de prædestin. Sancto. Augustinum loco negare præscientiam absolutam ex parte obiecti non conditionatam: negat enim præscientiam, ratione cuius Deus, vel punit, vel præmiat. Dicebant enim Semipelagiani puniri aliquem, vel iudicari, aut illi dari beneficium intuitu eorum, quæ quis facturus videbatur. Negat autem Augustinus ex meritis, quæ de facto futura non sunt, nec in rerum natura posita aliquem iudicari; de his autem, quæ quis faceret, si viueret negat Deum habere præscientiam, id est absolutam scientiam, qualis requiritur ad habendum iudicium præmiandi, vel peniendi. De loco autem de anima, & eius orig. c. 12. Tertio dicimus quod ibi Augustinus loquitur de futuris absolutis: quia aiebat

ibi Augustinus contra eandem responsionem Pelagianorum (rectius diceret à se quarto loco excogitatam pro Vincentio, quem confutabat) & multis probat, peccata non commissa à Deo non puniri: & sic probat præscientiam exinaniri, si, quod præcitur, non erit: scilicet secundum vim, & rationem præscientiæ absolute, qualis requiritur ad puniendum, & iudicandum. Talis enim præscientia debet esse de rebus de facto futuris.)

10. Instant Discalceati Carmelitani; apud Augustinum, idem esse contingens tantummodo præcitur, ac non prædestinatum, atque contingens ex propriis viribus habitum: ergo idem apud Augustinum est contingens conditionatum, præcitur solum, ac non actu prædestinatum atque conditionatum ex propriis viribus sub conditione habitum, siue sub conditione habendum, si ea apponeretur. Antecedens est Augustini c. 9. de dono perseverantiae, & ex q. Prosperi ad Augustinum: quam ad ipsum propositam Carmelitani, & Ioannes etiam à S. Thom. d. 20. qu. 33. a. 3. pag. 638. contra scientiam conditionatorum interpretantur: Prosperi verba sunt: *utrum præscientia Dei, ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa, quæ sunt proposita sint accipiendæ præcitur? an per genera causarum, & species personarum ista varientur? ut, quia diversa sunt vocationes, in iis, qui nihil operantur saluantur (parulis) quæ solum Dei propositum videatur existere: (quia scilicet conditionata opera eorumque præscientia ad propositum Dei de eorum absoluta salute incepta sunt) in iis autem (adultis) qui aliquid boni acturi sunt (viribus scilicet propriis) per præscientiam possit stare propositum? an vero uniformiter, licet præscientia à proposito diuini temporali distinctione non possit: præscientia tamen quodam ordine sit submixta propositis? & sic ut nihil sit, quod necque negatiuè, quod non scientia diuina præuenit: ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo autore defluat?* sed certe Augustinus, & Prosperi plane de absoluta præscientia, & omnino absoluto proposito loquuntur: id enim, & ea verba absolute, ac sine addito dicta sonant: ex antecedenti vero illo de futuro opere, & præscientia eius conditionata sine decreto absoluto, ne illud ex propriis viribus sit, ut illud intellexit Augustinus, solum inferitur fore conditionate ex propriis viribus; si prædestinatio Dei cum reliquis operis principii essentialibus in hypothese, & pro conditione illius non poneretur; non autem, si actuale, & absolutum decretum ex parte obiecti conditionatum (quod nusquam prædestinationis nomine Augustinus intellexit, imo neque de eo cogitauit, ut vidimus supra) non apponatur uti male ex eo antecedenti inferebant aduersarii.

11. Est quæstio illa Prosperi, cuiusque resolutio, quoad bona opera, & honesta ab Augustino, Prospero, & reliquis Patribus contra Pelagianos, & Semipelagianos fuit, nihil à Deo præciturum esse, quod non fuerit à Deo gratuito donante, cuiusque gratia, ac subinde prædestinatum. Dixi, quoad bona opera & honesta: nam prava præcitur à Deo, ac non prædestinata, subindeque Dei præscientiam, latius prædestinatione patere concors Patrum sententia est, ut d. sequenti ex ipsis statuemus: id quod factis est, ut omnia aduersariorum in re præsentia argumenta regeremus; si prædestinationis nomine contra Patrum mentem decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti, iuxta aduersariorum sinistram interpretationem, etiam intelligeremus: inde enim constaret conditionatam futuritionem prauorum actuum absque actuali Dei decreto consistere contra aduersarios: atque idem de conditionata bonarum actionum futuritione contra eosdem inferretur. His tamen omnis quæstio illa Prosperi, cuiusque, & Augustini, ac reliquorum Patrum resolutio de anterioris ad futuritionem bonorum operum, atque eorum præscientiam prædestinationis actualis necessitate, de absolutis operibus, atque omnino absoluta præscientia, & prædestinatione est: non autem de conditionatis. Primo: quia id præscientiæ, & prædestinationis, seu propositi voces simpliciter, & absolute, ac sine addito dicta significant. Secundo: quia ad scientiam, & propositum conditionatum ex parte obiecti ea paruulorum ab adultis diuisio inutilis erat; cum in utriusque æqua esse debeat operum conditionatorum præscientiæ, & prædestinationis, seu propositi ratio. Tercio: quia inepte dubitaret Prosperi, an in paruulis solum Dei propositum mane-

ret? cum in eis præscientiam operum sub conditione futurorum certissime cognosceret, nemoque de ea dubitet. Quarto: quia propositum in horum Patrum phrasi est, quo nemo impediri potest (possibilitate consequenti) à consecutione salutis, & perire, ut itatim Prosper subdit: quodque omnino abest ab eis, qui pereunt; cum tamen eiusmodi non sit decretum futuritionis conditionate, sed solum omnino absolutum de futuritione absoluta: ut patet in Tyrii conditionate penitentibus ex illo alio, (ut aduersarii volunt) decreto. Sed arguit ex his Patrum locis argumento, ut ille putat conuincenti, Ioan. à S. Thom. pag. 642. ut autem ego video, tortuoso, & implexo, cuiusque filium ægre sequi possumus, ni illud sic instruamus: *quidquid Deus se daturum præcinit absolute, & actu prædestinauit ex Augustino & Patribus: præcinit se daturum Tyrii conditionatam penitentiam: ergo ex Augustino, & Patribus eam absolute, & actu prædestinauit.* Cæterum maior de præscientia absoluta vera, & Augustiniana est: ideo enim Augustinus recitat locis cert. 7. n. 6. à med. præscientiam cum prædestinatione confundebat, confundique sæpe aiebat à diuini verbi tractatoribus, ut præscientie nomine prædestinationem intelligerent, si agitur (inquit ille) de vocatione electorum: quales solum conditionate conuertendi, saluandique minime sunt, ut patet in Tyrii & Sydonii: si autem ita eam vltuper conuincens iste syllogismus quatuor terminis consistat; dum in minori scientiam conditionatam assumit: si autem maiori scientia eius, quod Deus daturus siue conditionate, siue absolute intelligatur, falsa omnino: nec Augustiniana propositio est: imo ipsa conclusio, quam negamus, & (nouo conuincendi genere) conclusio pro eius probatione, & demonstratione assumitur.

CERTAMEN IX.

Ex sancto Thoma ab aduersariis opposita eleuantur.

1. Non maiori defectu plura S. Thom. loca expont Ioann. de S. Thom. de suo, & ex antiquioribus ipso Thomistis Recentioribus d. 20. q. 14. a. 4. pag. 646. Primum ex 3. p. q. 1. a. 3. vbi ait, & approbat Augustinum c. vtroque 6. de dono perseverantiae, & prædestin. sanctorum, retractasse responsionem illam ad quæstionem Paganorum, sæpe à nobis memoratam: quare, quasi ex vtroque sancto inquit Ioann. à S. Thom. *Vnde totum hoc non ad præscientiam illam futuri eventus, & decretum dicit ex Augustino Thomæ, sed ad diuinam prædestinationem esse referendum.* Bis Augustini, quare & S. Tho. mentem fati fuisse expendimus, & pro nostra sententia de futuritione conditionata, cuiusque scientia contingentis, absque, & independentem ab actuali Dei decreto de illa esse monstrauimus. Nunc solum de eius verbis obiectum rogo. An illud totum hoc ad quæstionem Paganorum, cur vni non alteri nationi voluerit Christus apparere? intelligendum sit? ut hæc voluntas Christi ad diuinam prædestinationem omnino referatur ut Augustinus ait, & Thomas? quod si ita intelligatur: quid inde, vel pro, vel contra decretum actuale de futuritione conditionata ad hanc, cuiusque scientiam statuendam? si autem *utrum hoc scientiam conditionatam fidei futuræ sub conditione, significet ad prædestinationem esse referendum:* neque in his Patribus fundamentum habet: imo voci prædestinationis, quæ non, nisi circa absolute futura, est, & dicitur, sicuti & rationi aduersatur. Ac denique, si totum hoc, neque ad præscientiam, neque ad decretum per te referendum esse dicit ex Augustino Thomæ: equid ais eos itare pro tuo decreto subiectus absoluto, & obiectus conditionato? secundum testimonium arripuit ex Catena S. Thom. in Martham, vbi præferre dicit Augustini sententiam: verum neque illo libro aliquid ex propria sententia dicit S. Thom. neque alicuius præferre sententiam, sed alias alijs Catena in modum adnectit. Nec si eo loco Augustini sententiam prætulisset, quidquam pro necessitate decreti, siue ad futuritionem conditionatam, siue ad eius scientiam